

uti est apud Dionysium Halic. Orti eâ duo Romanorum Reges, LL. Priscus & Superbus, ambo Tarquini inde nominati. Memoratur sæpe Livio, qui Tarquiniis porcum humano ore natum scribit lib. 37, & eisdem ad vela classis, quam in Africam ducturus erat P. Cornelius Scipio, lintea narrat contulisse.

A Viterbo meridiem versus *Blera* est, hodie *Bieda*. Inferius oram versus, *Barbaranum*, *Vianum* & *Toffa Nova*, occurrunt. Ad lacus ripam orientalem est *Anguillaria*, ad septentrionalem *Trivillanum*, ad occidentalem *Vicellum*. Quatuor à Viterbo milliabus, viâ quæ ducit Romam, *Canapina* est oppidum, quod veteribus existimatur *Capena*. hinc *luci Capeni* Virgilio. Nec procul hinc versus meridiem est *Vicus*, vernaculè *Vico*, unde nobilem Vicorum gentem; quæ Viterbinæ reipub. principatum diu tenuit, originem traxisse, arbitratur *Leander*. Supra Viam *Casiam* propter *Cimini* juga castellum *Surianum* est, *Castel Soriano*, ubi arcem totius Italiæ validissimam construxit *Nicolaus III*, ex *Vrsinorum* gente *Pontifex* Max. posteaque suæ familiæ concessit, ut autor est *Volaterranus*. Eam, quo tempore *Pontificia* sedes *Avenione* erat in *Galliis*, *Brittones* à *Cardinali* *Cecesenensi*, *Gregorii XI* P. M. Legato, in *Italiam* abducti, occupant, neque prius ulla vi extorqueri sunt passi, quamvis ab *Alberico Cuniato* summo libertatis vindice reliquis Italiæ locis fuissent exturbati, quam *Martinus V* P. M. sedem *Pontificiam* ex *Galliis* Romam reduxisset. Is enim artibus, ingenioque ac muneribus id effecit, ut sponte excederent, arcemque suæ ditioni ac potestati restituerent. Septem Viterbo milliabus versus meridiem *Vetralla* est, sequiturque mox in

Sutrium.

littore *Roncilio*, *Capranica*, *Bassanum*, & *Sutrium*. Hujus multis locis meminit *Livius*, præsertim lib. 6, ubi *Etruriæ* claustrum ob loci naturam, & belli adversus *Etruscos* gerendi oportunitatem appellat: *Camillum* addens paulo post, audita *Sutriorum* defectione, militi edixisse, ut annonam tridui secum in iter deferret, quo celeritati profectionis adversus *Sutrios* obesse posset nihil. Hinc *Plautinum* adagium in *Casina*, ut qui dierum aliquot annonam secum deferunt, ire *Sutrium* dicantur. Adscribit *Livius*, tantam fuisse *Camilli* celeritatem, ut eadem die *Sutrium* reciperet, ejectosque restitueret, qua erat ab *Etruscis* occupatum. libro quoque 9, pugnatum inter *Romanos*, *Etruscos* & *Vmbros* acerrime ad *Sutrium* notat, amissaque *Etrusco*rum & *Vmbrosorum* sexaginta fere millia, quorum pars cæsi, pars in captivitate redacti. *Colonia* eò deducta fuit anno ab urbe condita ccc lxxi, septimo post captam à *Gallis* urbem anno. Paucis hac ætate frequentatur, cavernis undique topheo, cui infidet, incisus cinctum.

Veji.

Mox per *Veientes* Romam tendenti occurrunt, *Mons Rosius*, & *Bassanum*, à dextris *Casanium*, *Formellum*, *Gallera*. Fuit heic loci olim *Veji* metropolis

Italia.

Veientum, hodie quibusdam *Martheniano*, aliis *Pontiana*, aliis *Civita Castellana* dicitur. Quo situ fuerit, ingens hoc seculo inter doctos est certamen; quum tamen disertis certisque documentis facile ostendi potuerit. Tabula quippe *Itineraria* eam in ipsa via inter Romam & *Nepete* ponit. tum *XI* etiam à Roma eò usque numerat millia passuum, & hinc porro *IX* *Nepete* usque. Etenim quum ab Roma ad *Nepete* hodie *XX* omnino numerentur millia, altera *IX* millia eo itinere redundare, atque haud dubie ex superiore itinere, quod à *Rubris* & *Vicesimo* *Interamnium* versus ducit, à male diligenti exscriptore perperam huc transcripta, certum est. Fuit igitur *Urbs* *Veji* circa ea loca, ubi nunc oppidum *Scrofanò* conspicitur, quod fustus demonstrat *P. Cluverius* Italiæ antiquæ lib. 2. *Urbs* fuit opulentissima, agro suo usque ad mare & *Tiberina* ostia excurrens. Obsessa fuit decem ætates hyemesque, & quum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset, postremo jam fato quoque urgente à *M. Furio Camillo* dictatore expugnata *Romanis* paruit. Antiquissima ejus fuit origo, ut quæ & ipsa cum reliquis principibus *Etruriæ* urbibus trecentis circiter ante bellum *Trojanum* annis, quam *Pelasgi Tyrreni* hanc regionem occupassent, constituta sit. Quum *Romani* ad *Alliam* flumen à *Gallis* fusi fugatique essent, plurima pars eorum huc incolumis, trajecto *Tiberi*, confugit, quumque *Urbs* *Roma* ab iisdem *Gallis* capta atque incensa esset, agitarunt *Tribuni* plebem assiduis concionibus, ut relictis ruinis in urbem paratam *Vejos* transmigrarent. *Coloniam* huc aliquando deductam fuisse patet ex *Frontini* libro de coloniis. Defecerunt coloni, postquam ipsum defecerat oppidum, bellis civilibus exhaustum, qua de re ita *Lucan.* lib. 7,

— *Gabios, Vejosque, Coramque,*
Pulvere vix tecta poterunt monstrare ruina.

Memoriæ proditum, quum *Nero Imperator* domum ædificaret amplissimam, editos fuisse hos versus:

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites:
Si non & Vejos occupat ista domus.

Hinc & *Propertius* lib. 4, eleg. xi,
Cossus at insequitur Vejentis cæde Tolumni,
Vincere quum Vejos posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus; ultima præda
Nomentum & capta jugera terna Cora.
Et Veji veteres, & Volscum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea cella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

Agrum ignobilis & insipidum produxisse vinum innuunt *Poëtæ*. *Horatius*:

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campanâ solitus trulla.

Et *Martialis* in *Epigr.*

Sed Vejentani bibitur fœx crassa rubelli.

De eo vino sic *Columella* lib. 4, *Vejentana* vinea

O o o 2 non